

Prohlášení církve o tom, že k náboženství nelze nutit

Řehoř I. zv. Veliký – list neapolskému biskupu Paschasiovi (listopad 602)

Qui sincera intentione extraneos ad christianam religionem, ad fidem cupiunt rectam adducere, blandimentis debent, non asperitatibus, studere, ne quorum mentem redditam plana (ad planum) ratio poterat provocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quam Dei probantur causas attendere. Iudei siquidem Neapolim habitantes questi Nobis sunt asserentes, quod quidam eos a quibusdam feriarum suarum solemnibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum, festivitatum suarum solemnia colere, sicut eis nunc usque et parentibus eorum longis retro temporibus licuit observare vel colere. Quod si ita se veritas habet, supervacuae rei videntur operam adhibere. Nam quid utilitatis est, quando, etsi contra longum usum fuerint vetiti, ad fidem illis et conversionem nihil proficit? Aut cur Iudeis, qualiter caeremonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus? Agendum ergo est, ut ratione potius et mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eis ex eorum Codicibus ostendentes quae dicimus ad sinum matris Ecclesiae Deo possimus adiuvante convertere. Itaque fraternitas tua eos monitis quidem, prout potuerit Deo adiuvante, ad convertendum accendat et de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festivitates feriasque suas, sicut hactenus ... tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam.

(dále též list biskupům Virgiliovi z Arles a Theodorovi z Marseille – 3. června 591; list biskupům Bacaudovi a Agnellovi – září/říjen 591)

Mikuláš I. – odpovědi na otázky Bulhariů (13. listopadu 866)

Cap. 41. De his (iis) autem, qui christianitatis bonum suscipere renuunt, ... nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus et ratione illos potius quam vi, quod vane sapiant, convincatis.... Porro illis violentia, ut credant, nullatenus inferanda est. Nam omne quod ex voto non est, bonum esse non potest (affertur Ps 53,8; 118,108; 27,7); ultronea quippe Deus obsequia et exhiberit tantum ab ultroneis praecipit : nam si vim inferre voluisset, nullus omnipotentiae illius resistere potuisset.

Alexandr II. – list Landulfovi, knížeti z Beneventa (r. 1065)

Licet ex devotionis studio non dubitamus procedere, quod nobilitas tua Iudeos ad christianitatis cultum disponit adducere, tamen quia id inordinato videris studio agere, necessarium duximus, admonendo tibi litteras nostras dirigere. Dominus enim noster Jesus Christus nullum legitur ad sui servitium violenter coegisse, sed humili

exhortatione, reservata unicuique proprii arbitrii libertate, quoscumque ad vitam praedestinavit aeternam non iudicando, sed proprium sanguinem fundendo ab errore revocasse... Item beatus Gregorius, ne eadem gens ad fidem violentia trahatur, in quadam sua epistola interdicit.

Inocenc III. – konstituce z 15. září 1199

Sicut ergo Iudeis non debet esse licentia in synagogis suis, ultra quam permissum est lege, praesumere, ita in his, quae sunt illis concessa, nullum debent praeiudicium sustinere. Nos ergo, licet in sua magis velint duritia perdurare quam vaticinia prophetarum et Legis arcana (al.: prophetarum verba et suarum Scripturarum arcana) cognoscere atque ad christiana fidei notitiam pervenire, quia tamen Nostrae postulant defensionis auxilium, ex christiana pietatis mansuetudine, praedecessorum Nostrorum fel. mem. Calixti (II.), Eugenii (III.), Alexandri (III.), Clementis (III.) et Caelestini (III.) Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, ipsorum petitionem admittimus eisque protectionis Nostrae clypeum indulgemus.

Statuimus enim (etiam), ut nullus Christianus invitatos vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat; sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, sine qualibet efficiatur calumnia Christianus. Veram quippe christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus sed invitus cognoscitur pervenire. Nullus etiam Christianus sine potestatis terrae iudicio personas eorum nequiter laedere vel res eorum violenter auferre praesumat aut bonas quas hactenus in ea, in qua habitant regione, habuerint consuetudines immutare. Praeterea, in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos ulla tenus non perturbet, nec aliquis ab eis indebita (coacta) servitia exigere vel extorquere contendat nisi ea quae ipsi praeteritis facere temporibus consueverunt. Ad haec, malorum hominum pravitati et avaritiae obviantes, decernimus, ut nemo coemeterium Iudeorum mutilare audeat vel minuere, sive obtentu pecuniae corpora effodere iam humata.... (Excommunicantur ii, qui hoc decretum violant.) Eos autem dumtaxat huius protectionis praesidio volumus communiri, qui nihil machinari praesumpserint in subversionem fidei christiana.

Týž – list biskupu Ymbertovi z Arles (r. 1201)

Id est religioni christiana contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum et invitum, coactum et coactum alii non absurde distinguunt, quod is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis quidem sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christiana.... Ille

vero, qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem et amentes, si prius quam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi; unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem.

Rozhodnutí „Posvátného officia“ (inkvizičního tribunálu) za pontifikátu Urbana VIII. (23. července 1639)

1998 Circa baptismum datum Alegretae annorum trium circiter filiae hebraeae... invitis parentibus, ... (cardinales) censuerunt parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma et intentione, baptismum probari unico teste, et quamvis filii Hebraeorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valet baptismus et character imprimitur; filiam baptizatam penes Christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios Hebraeorum baptizare, quia, licet finis sit bonus, media autem non licita, potissimum stante Bulla Iulii III imponente poenam 1000 ducatorum et suspensionis baptizantibus filios Hebraeorum invitis parentibus.

Benedikt XIV. – instrukce z 28. února 1747

2552 Primo (enim) expendetur, utrum invitis parentibus ac reluctantibus Hebrei infantes baptizari licite possint. Secundo, si hoc nefas esse dixerimus, an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed etiam liceat planeque deceat. Tertio, baptismum Hebreis infantibus tunc impertitum, cum fas non sit, ratumne an vero irritum haberi debeat. Quarto, quid sit faciendum, cum infantes Hebrei afferuntur, ut baptizentur, aut compertum sit, eos iam fuisse sacro baptimate initiatos : demum, quomodo probari possit, eosdem aquis salutaribus iam lustratos fuisse.

De primo primae partis capite si sermo sit, utrum nempe dissentientibus parentibus Hebrei infantes baptizari possint, aperte asserimus, hoc iam a S. Thoma tribus in locis definitum fuisse, nempe in Quodl. 2, a. 7; in (S. th.) IIa IIae, q. 10, a. 12, ubi ad examen revocans quaestionem in Quodlibetis propositam: „Utrum pueri Iudeorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi“, ita respondet: „Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda, etc. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod

Iudeorum filii invitis parentibus baptizarentur...“; atque ita ait in IIIa, q. 68, a. 10:
„Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii ... si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt..., et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum.“

2553 Scotus in IV Sent. dist. 4, q. 9, n. 2 et in quaestionibus relatis ad n. 2 censuit laudabiliter posse principem imperare, ut invitis etiam parentibus Hebraeorum atque infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem infantes a parentibus occidantur. ... Praevaluit (tamen) in tribunalibus S. Thomae sententia ... atque inter theologos canonumque peritos vulgatior est.

2554 Hoc igitur posito, quod nefas sit Hebraeorum infantes reluctante parentum arbitrio baptizare, nunc iuxta ordinem initio propositum descendere iam oportet ad alteram partem: an videlicet contingere umquam possit occasio aliqua, in qua id liceat et conveniat.

Lev XIII. – encyklika „Immortale Dei“ (1. listopadu 1885)

3177 Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia quod sapienter Augustinus monet: „Credere non potest (homo) nisi volens.“ (traktát k Janovu evangeliu, XXVI,2)